

Omni illam cultu ornavi : ceu sedula mater,
 Cui matura viro jam sedet unigena
 Nata domi , quacumque potest juvat arte , venusta
 Ut magis , & cupidis grata sit illa procis ;
 Jamque hoc , jamque illo contextam flore corollam ,
 Ipsa suo secum multa movens animo ,
Crinibus aureolis nunc addit , nunc eadem se
 Culpat , & in propria dote nitere sinit .
 Huic nihil , aut paullum cessit mea cura , pepercit
 Ulli nec studio , quo magis atque magis
 Per te illa in lucem prodire venustula quiret ,
 Et procul Eoos , & petere Hesperios ,
 Sævaque mordacis convicia spernere vulgi
 Felix , judicio satque probata tuo ;
Auspice quo nostræ primum crevere Camœnæ ,
 Ac sibi fors aliquod promeruere decus .
 Nam neque me laurus , nec pieria Hippocrene ,
 Non Musæ , ac soboles Gorgonos ales equus
 Aut quidquam juvere , juvare aut denique possent ,
 Ni mihi tute fores duxque , comesque viæ
 Aonas in montes . Tua per vestigia durum
 Conabar tremulis vincere iter pedibus
Paullatim adrepens ad hyanteum Parnassum ,
 Antraque Nympharum garrula carminibus .
O antra ! o Helicon ! o flumina sancta ! quis inter
 Musarum sistat me cupidum thyasos ?
 Lauro quis frontem cingat parnasside ? Vos o
 Hunc per ego , Musæ , deprecor , hunc comitem ,
Qui lateri adsistit , quo non mihi carior alter ,
 Quo nusquam vobis alter amabilior ,
Accipite ingressum me vestræ in limina sedis ,
 Et mihi Castalia cingite fronde comas .
Nec tamen ipse ausim deposcere præmia , quæ jam
 Iris , & algentis visa sub axe poli